

1591 correptis Græcorum nonnullorum ædibus, inde in multas urbis regiones vel ignota vel neglecta promanavit. Nihil a magistratibus ad ingens ac lethale malum profligandum prætermissum; Hieronymo Capellio Duce, ac Philippo Paschalico præfecto, nullo mortis metu perterritis, die noctuque pro publica salute excubantibus; decem e colonia patriciis procurandæ sanitati præfectis, ut sani ab agris secernerentur, egentiumque necessitati subveniretur. Nam ejus mali exortu plebisque nobilibus, atque laxioris fortunæ viris metu in pagos confugientibus, infima plebs, atque ii qui manuum opera victum quærunt, in urbe pestilentiae periculo fame vexabantur. Ea tabes ab oppidanis in milites transfusa; qui licet stipendia publica mererent, omnium rerum in immensum pretio aucto, inopiæ ac famis telis impetebantur. His calamitatibus ut subvenirent, quam maximam annonæ omnis generis copiam in urbem importari magistratus curabant; & quamquam Joannes Mocenicus, Marcius Procurator, Cretæque regni cum summo imperio legatus, ut præsto omnibus locis adesset, extra civitatem morabatur; tamen auctoritate, consilio, imperio aderat. Neque inter illius coloniae patricos, exiguam Benedictus Quirinus indefessi laboris liberalitatisque laudem tulit. Laurentii quoque Viturii Archiepiscopi religio ac pietas enituit, qui, & pecunia in egenos rogata, & crebris indiictis supplicationibus, Divinum mortalibus conciliare numen adnitebatur. Ab exitu mensis aprilis usque ad juliæ exordium pestifera lues sæviit, cum in singulos dies ducenti absumerentur: inde mitescere, remedia admittere, donec septembris exitu, sensim impetu defervescente, tandem extingueretur. Sexdecim hominum millia partim in urbe, partim in agris feruntur extincta esse.

Pestilentiae molestiis, classis turcicæ suspicio aliqua accessit, ob Persici quidem belli metu exiguo numero Hellesponto egressæ, sed quæ, vel exinanita urbe atque agris, vel Assani Cicalæ, qui tunc classi imperitabat, infenso in Venetos animo, nequaquam contemnenda videbatur. Itaque Mocenicus legatus maritima loca portusque communiit, Italo milite deficiente, Græcorum opera usus, in Spinæ leonis arcem Horatium Longum, Neapolitanum, Cythæi ac Hierapetriæ militiæ præfectum

Joannis
Mocenici
legati
se-
dulitas in
Creta mu-
nienda.